

3

Alconia probæ foeminæ eruditissimæ ad adel
phū senatore coniuge dulcissimū ex uirgilii opibus
cētones ueteris ac noui testamēti foeliciter icipiūt.

Pater o hominum rerūq; æterna potestas.
Da facile cursū: atq; animis illabere nostris.
Tuq; ades: inceptumq; una decurre laborem
Nate patris sūmi uigor & celestis origo:
Quem primi colimus: meritosq; nouamus honores
Iam noua progenies: omnis quam credidit etas.
Munera uestra cano. satis est potuisse uideri.
Nam memini ueterū uoluens monumēta uirorū:
Quæ sint: que fuerint: quæ mox uentura trahātur:
Omnia: ut ispe tener mundi concreuerit orbis.
Foelix qui potuit rerum cognoscere causas.
Vnde hominumq; pecudūq; genus uitæq; uolantū.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pōtus
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Terrarumq; iginsq; animæ marisq; fuissent.
Haud aliter prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies: alium ue habuisse tenorem
Crediderim: maior rerum mihi nascitur ordo:
Si qua fidem tanto est operi latura uetus.
Namq; fatebor enim: lauium spectacula rerum
Semper equos atq; arma uirum pugnāsq; canebar.
Et studio in cassum uolui exercere labores.
Omnia tentanti potior sententia uisa est:
Pandere res alta terra & caligine mersas.

A.I.



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDOS.USAL.ES

Inque dies aliquid iam dudum iuadere magnum.
Mens agitat mihi: nec placida contenta quiete:
Ore fauete omnes. lœtasque aduertite mentes.
Matres atque uiri pueri innuptæque puellæ.

Opera sex dierum.

Rincipio coelum ac terras camposque liquetes
Lucentemque globum lunæ solisque labores.
Ipse pater statuit uos o clarissima mundi
Lumina labentem coelo quæ ducitis annum.
Nam neq; erat astrorū ignes: nec lucidus ethra:
Sed nox atra polum bigis subiecta tenebat:
Et chaos in præceps tantum tendebat ad umbras:
Quantus ad ethereum coeli suspectus olympum.
Tunc pater o omnipotens rerū cui summa potestas:
Aera dimouit tenebrosum: & dispulit umbras:
Et medium luci atque umbris iam diuidit orbem.
Sydera cuncta notat tacito labentia coelo:
Intentos uoluens oculos qua parte calores
Austrinos tulerit: quæ terga obuerterit axi:
Obliquus qua se signorum uerteret ordo.
Postquam cuncta uidet coelo constare sereno
Omnipotens: stellis numeros & nomina fecit:
Temporibusque parem diuersis quattuor annum:
Estusque & pluuias: & agentes frigora uentos.
Atque hæc ut certis possimus discere signis:
Vere tument terræ: & genitalia semina poscunt.
At medio tostas æstu terit area fruges.
Et uarios ponit foetus autumnus, & atra

Venit hyems. teritur syconia bacca trapetis.
atque in se sua per uestigia uoluitur annus.
Tempore iam ex illo foecundis imbris æther
Magnus alit magno cōmixtus corpore foetus.

Dies primus.

Tiam prima nouo spargebat lumine terras;
Ducebatque diem stellis aurora fugatis:
Tum durare solum & discludere nerea ponto
Incipit: & rerum paulatim sumere formas.
Et uariæ pelagi facies imania cete
Aequora uerrebant caudis: estumque secabant;
Necnon & uasti circum gens humida ponti
Iam sole infuso iam rebus luce receptis
Exultans rorem late dispergit amarum.

Dies secundus.

Ostera iamque dies primo surgebat eco:
Fundit humus flores: ac frondes explicat omnes.
Sanguineis inculta rubent auiaria baccis:
Non rastris hominum non ulli obnoxia curæ.

Dies tertius.

Ertia lux gelidam coelo dimouerat umbram:
Auia tunc resonant auibus inculta canoris.
Et liquidas presso corui dant gutture uoces.
Nec gemere æria cessauit turtur ab ulmo.

Dies quartus.

Varto terra die uariarum monstra ferarum
Omnigenaque pecus nullo custode per herbam
Educit siluis subito mirabile uisu;

311



Tum demum mouet arma leo. tū pessima tigris.
Squamosusque draco: ac fulua ceruice leena
Seuire: ac formæ magnorum ululare luporum.
Cætera pascuntur uirides armenta per herbas.
Nec gregibus liquidi fontes: nec gramina desūt

Dies quintus & sextus

Iamque dies alterque dies processit: & omne
Hoc uirtutis opus diuinæ mentis & haustus
Prospiciens genitor perfectis ordine rebus
Expleri mentem nequit: ardescitque tuendo.
Terrasque tractusque maris coelumq; profūdum
Alituum pecudumque genus: secumque uolutat
Qui mare qui terras omni ditione tenerent:
Neu segnes iaceant.

De formatione primi hominis.

Talia uersanti subito sententia sedit:
Foelicemque trahit limum: fингitque premendo
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Iamque improviso tantæ pietatis imago
Procedit noua forma uiri: pulcherrima rerum:
Os humerosque deo similis: cui mētem animūq;
Maior agit deus: atq; opera ad maiora remittit.

De formatione eue

Quæritur huic alias: nec quisquā ex agmine tāto
Audet adire uirum: sociusque in regna uocari.
Haud mora cōtinuo placidā p membra quietem
Dat iuueni: & dulci declinat lumina somno.
Atque illi in medio spatio iam noctis opacæ

Omnipotens genitor costas & uiscera nudat.
Harum unam iuueni lateris compagibus arctis
Eripuit: subitoq; oriturq; mirabile donum:
Argumentum ingens: claraq; in luce refulsit
Insigni facie & pulcro pectore uirgo.
Iam matura thoro. iam plenis nubilis annis.
Olli somnum ingens rupit pauor. ossaq; & arctus
Coniugiumq; uocat: & stupefactus nomina pressit:
Excepitq; manu: dextramq; amplexus adhæsit.

Deus homini benedixit

His demum exactis torquet qui sydera mundi:
Infit. eo dicente premit placida æquora pōtus.
Et tremefacta solo tellus silet. arduus ether.
Viuite foelices: interq; uarentia culta
Fortunatorū nemorum: sedesq; beatas.

Hæc domus. hæc patria ē. reges en certa laborū
Hiis ego neq; metas rerum: nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi: multosq; per annos
Non rastros patietur humus. nec uinea falcem:
At genus immortale manet: nec tarda senectus
Debilitat uires animi: mutatq; uigorem.

Ligni fructus prohibetur

Vos contra quæ dicam animis aduertite uestris.
In medio ramos annosaq; brachia tendens
Est in conspectu ramis foelicibus aibos:
Quam neq; fas igni cuiquā nec sternere ferro:
Religione sacra nunquā cōcessa moueri.
Hac quicung; sacros decerpserit arbore foetus:

¶. sit



Morte luet merita:nec me sententia uertit.
Nec tibi tam prudens quisquā persuadeat auctor
Cōmaculare manus. liceat te uoce moneri
Foeminea nec te ullius uiolentia uincat:
Si te digna manet diuini gloria ruris.
Postquam cuncta pater coeli cui sydera parent
Composuit: legesq; dedit: camposq; nitentes
Desuper ostentat: tantarum gloria rerum.

Descriptio paradisi.

Ecce autem primi sub cardine solis & ortus
Deuenere locos: ubi mollis amaracus illos
Floribus & dulci aspirans complectitur umbra.
Hic uer purpureum: atq; alienis mensibus estas:
Hic liqdi fontes: hic coeli tempore certo
Dulcia mella premunt: hic candida populus antro
Imminet: & lentæ texunt umbracula uites.
Inuitant croceis halantes floribus orti
Inter odoratum lauri nemus: ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Fortunati ambo si mens non leua fuisset
Coniugis infandæ. docuit post exitus ingens.

Tentatio per serpentem.

Iamq; dies infanda aderat: per florea rura
Ecce inimicus atrox imensis orbibus anguis
Septem ingens gyros septena uolumina torquens:
Nec uisu facilis nec dictu effabilis ulli:
Obliqua insidiā ramo frondente pependit
Vipereum inspirans animam; cui tristia bella.

Iræq;. insidiæq;. & crimina noxia cordi:
Odit & ipse pater: tot sese uertit in ora:
Arreptisq; horret squamis: & nequid in ausum
Aut intentatum sceleris ue doli ue relinquat:
Sic prior aggreditur dictis: atq; obtulit ultro.
Dic ait o uirgo lucis habitamus opacis:
Riparūq; thoros: & prata recentia riuis
Incolimus: quæ tanta animis ignauia uenit:
Strata iacet passim sua quæq; sub arbore poma.
Pocula sunt. fontes liquidi. coelestia dona
Atrectare nefas. id rebus defuit unum.
Quis prohibet causas penitus tentare letentes:
Vana supersticio. rerum pars altera adempta est.
Auctor ego audendi sacrata resoluere iura.
Tu coniunx. tibi fas animum mollire precando.
Dux ego uester ero. tua si mihi certa uoluntas:
Extruimusq; thoros: dapibusq; epulamur opimis
Eua seducitur.
Sic ait & dicto citius quod lege tenetur:
Subiiciunt epulis olim uenerabile lignum:
Inscituuntq; dapes: contactuq; omnia fedant.
Præcipue infelix pesti deuota futuræ
Causa mali tanti sumo tenus attigit ore:
Miraturq; nouas frondes: & nō sua poma
Maius adorata nefas maioremq; orsa furorem
Heu misero coniunx aliena ex arbore germen
Obiicit: atq; animum subita dulcedine mouit.
Nudos uident se & faciunt sibi perizomata

Continuo noua lux oculis effusit. at illi
Terrentur uisu subito. nec plura morati
Corpora sub ramis obiectu frondis obumbrat
Consertum tegmen: nec spes opis ulla dabatur.
At non hæc nullis hominum rerumq; reptor
Prospiciens oculis cædes & facta tyranni.
Præsensit: notumq; furens quid foemina possit.
Continuo inuadit: procul o procul este prophani
Conclamat coelum ac terras qui numine firmat.

Adam se abscondit.

Atq; illi longe gradientem ac dira frementem
Vt uidere metu uersi retroq; ruentes
Difugiunt: siluasq; & sicubi concava furtim
Saxa petunt. piget i coerti. lucisq;. nec auras.
Despiciunt. tædet coeli conuexa tueri.
Nec longū in medio tempus: cū creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorq; per auras.
Hunc ubi uix moestum multa conspexit in umbra
Talibus alloquitur dictis: atq; increpat utro.

Adam increpat a domino.

Infoelix quæ tanta animum dementia cepit:
Quis furor iste nouus: quo nunc quo tenditis inq;
Regnorū immemores: quæ mentē insania mutat:
Dicite quæ lucis miseris tam dira cupido:
Maturate fugam. totoq; absistite luco.
Nec reuocare gradum si quādo aduersa uocarint
Est licitum: flāmis ambit torrentibus amnis
Per medium stridens torquetq; sonantia saxa:

Attolitq; globos flāmarum: & sydera lambit.
Excusatio adam.

Ille sub hæc tua me genitor tua tristis īmago
His posuere locis. merui. nec de precor inquit
Omnipotens: sonitumq; pedum uocemq; tremisco
Conscius audacis facti monitiq; sinistri.
Foemina fert succos tristes tardumq; saporem.
Illa dolos dirumq; nefas in pectore uersans.
Insontem infando iudicio moritura puella
Dum furit incautum crudeli morte peremit.
Suasit enim scis ipse neq; ē te fallere cuiquam.
Vt uidi. ut perii. ut me malus abstulit error.
Contigimusq; manu quod nō sua seminat arbor.

Maledictio serpentis.

Tunc pater omnipotens solio sic infit ab alto.
Accipite ergo animis: atq; hæc mea figite dicta.
Tuq; prior scelere ante alios īmanior omnis:
Quem neq; longa dies pietas nec mitigat ulla
Hortator scelerum coluber mala gramina pastus
Desidiæ latamq; trahens inglorius aluū:
Cede locis: nullis hominum cogentibus ipse
Tenuis ubi argilla & dumosii calculus aruis.

Maledictio adam.

At tibi pro scelere exclamat pro talibus ausis:
Omne æuum ferro teritur. primusq; per artem
Heu miserande puer terram insectabere rastris.
Et sonitu terrebis aues: horrebit in aruis
Carduus: & spinis surgit paliurus acutis.



Lappe. tribuliq; & fallax herba ueneni.
At si triticeam in messem robustaq; farra
Exercebis humum: frustra spectabis aceruum.
Cōcussaq; famem in siluis solabere quercu.
Insuper his subeunt morbi tristisq; senectus.
Et labor & diræ rapit inclametia mortis.
Hæc tibi semper erunt.

Maledictio eue.

Tuq; o sœuissima coniunx
Nō ignara mali caput horum & causa malorum
Magna lues cōmissa tibi: heu perdita nescis:
Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis.
Nūc morere ut merita es: tota q; mète petisti.
Nec mea iam mutata loco sententia cædit.

Expulsio eorū de paradiſo

At iuuenem primū sœuus circūstetit horror
Diriguere oculi: nec se celare tenebris
Amplius: aut notas audire & reddere uoces.
Haud mora festinant iussi: rapidisq; feruntur
Passibus: & pariter gressi per opaca uiarum
Corripiunt spaciū medium: limēq; relinquunt
Flentes: & curis paribus uestigia figunt.
Tum uictum in siluis bacas lapidosaq; corna
Dant rami: & uulsi pascunt radicibus herbæ.

Conceptio caym.

Interea magnum sol circūuoluitur annum.
Matri longa decem tulerant fastidia menses:
Vnde homines nati durum genus: inde per artem

Aut herbæ campo apparent: aut arbore frondes.
Inq; nouos soles audent se germine tuto
Credere: & lentis uuam dimittere ramis
Instituunt: udoq; docent inoleſcere libro.

Abel a fratré occiditur.

Tunc gemini fratres adolent dum altaria cædis:
Alter in alterius prælato inuidit honore:
Horresco referens consanguinitate propinquum
Excipit incautum: patriasq; obtruncat ad aras
Sanguine fedantem quos ipse sacrauerat ignes.
Tum genitor uirus serpentibus addidit atris.
Et passim riuis currentia uina repressit.
Mellaq; decussit foliis. ignemq; remouit.
prædariq; lupos iussit. potumq; moueri.
Mox & frumentis labor additus: ut mala culmos
Eſſet rubigo: & uictum seges ægra negaret.
Tum alnos primum fluuii sensere cauatas.
Tum laqueis captare feras & fallere uisco
Inuentum: & duris urgens in rebus egestas
Mouit agros curis acuens mortalia corda
Deterior donec paulatim ac mollior ætas
Ferrea progenies dirum caput extulit aruis.
Iusticia excedens terris uestigia fecit:
Et belli rabies: & amor successit habendi.
Nec longum in medio tempus: furor iraq; mète
Præcipitant. gaudent perfusi sanguine fratum.
Condit opes alius: defossoq; incubat auro.
Nec doluit miserans iopem; dextramq; tetendit



Diluuium.

Tū pater omnipotens grauiter cōmotus ab alto
Ethere se mittit: tellurē efundit in undas
Diluuium miscens: coelumq; in tartara soluit:
Sternit agros: sternit sata lāta: boumq; labores
Diluit: implētur fossæ: & caua flumina crescūt:
Et genus omne neci pecudū dedit ille ferarū.

Noe seruatur.

Tum pietate grauē ac meritis mirabile dictu
Qui fuit in terris & seruātissimus æqui
Eripuit leto tantis surgentibus undis
Vt genus unde nouæ stirpis reuocaret haberet.

De pharaone & pplō p desertū eūte
Diluuio ex illo patribus dat iura uocatis
Omnipotens magnis agitans sub legibus æuum.
Quid memorē infādas cædes: quid facta tyranī?
Nesciaq; humanis precibus mansuescere corda:
Egyptum uiresq; orientis & ultima bella
Magnanimosq; duces totasq; ex ordine gentes.
Quo cursu deserta petat & tribus & gens
Magna uirum meriti tāti nō immemor unquam
Quiq; sacerdotes casti dum altaria iuxta:
Quiq; pii uates pro libertate ruebant:
Qui bello exciti reges: & quæ littore rubro
Complerint campos acies: quibus arserit armis
Rex genus egregium magno inflamāte furore
Agmen agens equitum & florentes ære cateruas
Cætera facta patrum pugnataq; ex ordine bella

Prætero: atq; aliis post me memorāda relinquo
Natalis domini
Nunc ad te & tua magne pater cōsulta reuertor
Maius opus moueo: uatum prædicta priorum
Aggregior: quamuis angusti terminus æui
Accipiat: tentanda uia est: qua me quoq; posim
Tollere humo: & fama nomen tot ferre p annos:
Quot tua progenies coelo descendit ab alto.

Attulit & nobis aliquando optātibus ætas
Auxilium aduentumq; dei: quo foemina primū
Virginis os habitumque gerens mirabile dictu
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edit.
Seraque terrifici cecinerunt omina uates
Aduentare uirum populis terrisque superbū
Semine ab ethereo: qui uiribus occupet orbem:
Imperium oceano: famam qui terminet astris.
Iamq; aderat promissa dies quo tempore primū
Extulit os sacrum diuinæ stirpis origo
Missus in imperium: uenitque in corpore uirtus.

De stella & magis.

Naud mora continuo coeli in regione serena
Stella facem ducens multa cum luce refulsit.
Agnouere deum proceres: cunctique repente
Muneribus cumulant: & sanctū sidus adorant.
Tum uero manifesta fidei: clarumque paternæ
Nomen erat uirtutis: & ipsi agnoscere uultus
Flagrant: & quædam diuini signa decoris.

De turbatione herodis.



Rotinus ad regem magno clamore ruentum
Fama uolat: magnisque acuit clamoribus iras:
Incenditque animum: matrisque allabitur aures.
Illa dolos dirumque nefas haud nescia rerum
Præsensit; motusque excepit prima futoros.
Præscia uenturi furtim mandarat alendum:
Dum curæ ambiguæ dum mens exestuat æstu.

De morte infantium.

T rex sollicitus stirpem & genus omne futurū
Præcipitare iubet: subiectisque urere flammis
Multæ mouens: mittitq; uiros qui certa reportet:
Haud secus ac iussi faciunt: rapidisque feruntur
Passibus; & magnis urbem terroribus implent.
Continuo auditæ uoces. uagitus & ingens.
Infantum q; animæ flentes. ante ora parentum
Corpora natorum sternuntur limine primo.

De fuga domini in egyptum.

Tmater gemitu ne quicquam exterrita tanto
Ipsa sinu præse portans turbante tumultu
Infantem fugiens plena ad presepio reddit.
Hic natum angusti subter fastigia tecti
Nutribat teneris immulgens ubera labris:
Hic tibi prima puer fundunt cunabula flores.
Mixtaque ridenti passim cum baccare tellus
Molli paulatim colocasia fundit acantho.

De reditu eius in iudeā defuncto herode.

T iam finis erat perfecto temporis orbe:
- Ut primum cessit furor & rabida ora quierunt;

Ante annos animum gestans cælestis origo
Per medias urbes graditur sociosq; propinquos.
Illum omnis tectis agrisque effusa iuuentus
Anttonitis inhians animis prospectat euntem:
Turbaque miratur matrum: quis spiritus illi:
Quis uultus: uocisque sonus: uel gressus eunti.
Testimonium ioannis de cristo.

Ontinuo uates nāque is certissimus auctor
Ut procul a gelido secretum flumine uidit:
Tempus ait deus ecce deus: cui maxima rerum
Verborumque fides. tu nunc eris alter ab illo
Fortunate puer: coeli cui sidera parent.
Sic equidem ducebam animo: rebarq; futurum.
Expectate uenis: spes & solatia nostri.

De baptismo cristi.

Aec ubi dicta dedit: fluuio mersare salubri
Accepit uenientem: ac mollibus extulit undis.

Exultatq; uada. Apparitio spūs scī.

T subito commata columba
Deuolat: & supra caput astitit: unde repente
Radit iter liquidum: celeres neq; commouet alas
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat
Certatim largos humeris infundere rores

Vox patris de cristo.

Vm genitor natum dictis compellat amicis.
Nate meæ uires mea magna potentia solus
Et predulce decus magno rediture parenti;
A te principium; tibi desinit accipe testor



O mea progenies qua sol utrumq; recurrens.
Aspicit oceanum perfecto latus honore
Omnia sub pedibus uerti regi q; uidebis.
Tu regere imperio populos matresq; uirosq;.
Ignarosq; uiæ mecum miseratus inertes
Aggredere & uotis iam nunc assuesce uocari.
Dixerat ille patris magni parere parabat.
Imperio insistens operi regniq; futuris.
Heu pietas heu prisca fides. quas dicere getes
Incipiam: si parua licet componere magnis:
Nec mihi ia patriam antiqua spes ulla uidèdi.
Nec spes libertatis erat nec cura salutis.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti,
Concretam exemit labem: purumq; reliquit
Ethereu sensum: meq; in mea regna remisit.
Illum ego per flamas: agerem si syrtibus exul:
Per uarios casus per mille sequentia tela;
Quo res cumq; cadent: unum pro munere tanto
Exequerer: strueremq; suis altaria donis.
Namq; erit ille mihi semper deus illius aram
Cuncti obtestamur: ueniamq; oramus ab ipso.
Huius in aduentu tantarum gloria laudum
Ipsi læticia uoces ad sidera iactant
Intonsi montes: respondent omnia ualles.

Tentatio christi.

tempore nō alio magnū & uenerabile nomē
Serpentis furiale malum memenisse necesse est.
Ausus quin etiam fama est obscurior annis,

Compellare uirum: & ueniendi poscere causas.
Hunc ubi tendentem aduersū per gramina uidit:
Substitit: ifremuitq; ferox: dominumq; potētem
Saucius at serpens affatur uoce superba.
Vera ne te facies: uerus mihi nuncius affers:
Qui genus: ude domo qui nostra ad limina tendis
Fare age qd uenias: nam te dare iura loquuntur
Aut quis. te iuuenum confidentissime nostras
Iussit adire domos paci q; imponere morem.
Non equidem inuideo miror magis. accipe porro
Quid dubitem & quæ nūc animo sententia surgat
Statuit super pinnaculum templi.
Est domus alta: uoca zephiros: & labere penis
Ardua tecta petens ausus te credere coelo.
Si modo quem memoras pater è cui sidera pareat.
Vox christi ad tentatorem.
Olli subridens sedato pectore fatur
Haut uatum ignarus uenturiq; inscius æui.
Dissimulare etiam sperasti perfide serpens:
Ne dubites: nam uera uides. opta ardua penis
Astra sequi: clausumq; caua te cōdere terra:
Quo peritura ruis: maioraq; uiribus audes.
Cede deo toto projectus corpore terra.
Nec plura hiis.

Reliquit eum tentator.
Ille admirans uenerabile donum
Fronte premit terram: & spumas agit ore cruento
Contentusq; fuga cecis se immiscuit umbris

D.t.



Dominus elegit discipulos .

Interea magnas uolitans it fama per urbes
Conuenere uiri. mens omnibus una sequendis:
In quascunq; uelit pelago deducere terras.
Multi præterea quos fama obscura recondit
Circūstant fremitu denso: stipantq; frequentes.
Conueniunt: uitamq; uolūt pro laude pascisci.

Sermo domini in monte.

Postquā altos uentum in montes: æterna potestas
Iura dabat. legesq; uiris: opumq; labores
Edocet humanis quæ fiducia rebus
Admonet immiscens cari præcepta parentis.
Spemq; dedit dubiæ menti: curasq; resolut.
Conspicit ecce alios dextra leuaq; frequetes:
Exultatq; animis: medium nam plurima turba
Hunc habet: atq; humeris extantem suspicit altis.
Quos ubi consertos audere in prælia uidit:
Incipit: & dictis diuinum inspirat amorem.
Discite iusticiam moniti: & succurrere fessis
Prose qſq; uiri: quæ cuiq; est copia leti:
Comunemq; uocate deum: meliora sequamur:
Quoq; uocat uertamus iter: uia prima salutis
Intemerata fides: & mens sibi conscientia recti.
Vobis parta quies perfecto temporis orbe.
Nam qui diuiniis soli incubuere repertis:
Nec partem posuere suis: dum uita maneret:
Pulsatus e parens: & fraus innexa clienti
Tunc cum frigida mors anima subduxerit artus:

Inclusi poenam expectant: quæ maxima tu: ba est
Infernisiq; crient tenebris: ueterumq; malorum
Supplicia expendunt. alii sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus: aut exuritur igni.
Turbidus hic ceno uastaq; uoragine gorges
Estuat: atq; omnem cocytu eructat arenam.
Hic exaudiri gemitus: & sexua sonare
Verbera: tum stridor ferri strictæq; catenæ:
Semper & obducta densantur nocte tenebrae.
Præterea quæ dicam animis aduertite uestris.
Non ego uos post hæc cæsis de more iuuencis
Religione patrum truncisq; & robore natas
Mortalisq; manu effigies & templa tueri
Audite: & repetens iterumq; iterumq; monebo.
Sed perisse semel satis est: matremq; patremq;
profuerit meminisse magis: si credere dignū est.
Sed fugit interea: fugit irreparabile tempus:
Flamarumq; dies & nox inimica propinquat.

Signa uenturi iudicii.

Attonitis hesere animis. nec plura moratus.
Hic aliud maius miseris mortalibus ægris
Iudicium canit: tristes denunciat iras:
Venturum excidium: & uasta conuulta ruina
Omnia: tunc pariter rutilo miscerier igne:
Pallentesq; polo stelas: coeliq; ruinam.
Tunc uero tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor: & taciti uentura uidebant.

De quodam iuuene consulente christum

D. II.



Hoc sup aduentu cum dicta horrenda moneret:
 Ora puer prima signans intonsa iuuenta:
 Diues opum: studiis florens ignobilis oci:
 Quinq^{ue} greges illi balantum: quina redibant
 Armenta: & dapibus mensas onerabat opimis:
 Continuo palmas alacris utrasq^{ue} tetendit:
 Et genua amplectens sic ore affatus amico est.
 O decus o famæ merito pars maxima nostræ:
 Ad te confugio & supplex tua numina posco.
 Omnia perfici: atq^{ue} animo mecum ante peregi.
 Eripe me hiis inuicte malis: qd deniq^{ue} restat:
 Quidue etiam tantos possim sufferre labores:
 Accipe daq^{ue} fidem. mihi iussa capessere fas est.
 Atq^{ue} huic responsum paucis ita reddidit heros.
 O prestans animi iuuenis absiste precando.
 Nec te poeniteat: nihil o tibi amice relictum est
 Hoc etiam hiis addam tua si mihi certa uoluntas.
 Disce puer contemnere opes: & te quoq^{ue} dignum
 Finge deo: & quæ sit poteris cognoscere uirtus
 Da dextram misero: & fratrem ne desere frater:
 Si iungi hospicio properat coniunge uolentem:
 Casta pudiciciam seruet domus: en age segnes
 Rumpe moras: rebusq^{ue} ueni non asper egenis.
 Dixerat hæc: ille in uerbo uestigia torsit
 Tristior ora modis attollens pallida miris.

De discipulis in mari pericitantibus.
 Inde ubi prima fides pelago tranquilla per alta

Deducunt socii naues: atq^{ue} arte magistra
 Huc alitus funda latum transuerberat amnem
 Alta petens: pelagoq^{ue} alius trait humida lina.
 Postquā altum tenuere rates nec amplius ullæ
 Occurrunt terræ: crebris micat ignibus æther:
 Eripiunt subito nubes coelumq^{ue} diemq^{ue}.
 Consurgunt uenti: & fluctus ad sydera tollunt.
 At sociis subita gelidus formidine sanguis
 Dirigit: cecidere animi: cunctiq^{ue} repente
 Pótum aspectabant flentes uox omnibus una.
 Spemq^{ue} metumq^{ue} interdubii seu uiuere credant
 Seu extrema pati: leti discrimine paruo
 Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Christus ambulat super aquas.
 Eece deus magno misceri murmure pontum
 Emissamq^{ue} hyemem sensit: cui summa potestas
 Par leuibus uentis & fulminis ocyor alis
 Prona petit maria: & pelago decurrit aperto.
 Nec lango distant cursu: pereunte carina
 Agnoscant longe regem dextræq^{ue} potentem
 Nudati socii: & magno clamore salutant.
 Postquā altos tetigit fluctus & ad æquora uenit:
 Id uero horrendum uisu ac mirabile ferri
 Subsidunt undæ: remo ut luctamè abesset
 Colletasq^{ue} fugat nubes: graditurq^{ue} per æquor
 Iam medium: nec dum fluctus latera ardua tixit.
 At media socios incedens naue per ipsos
 Ipse gubernaculo rector subit: ipse magister:



Intremuit malus. gemuit sub pondere cymba;
Vela cadunt: puppis pater consedit in alta;
Et tandem leti notæ aduertuntur arenae.

Super asinam intrat hierusalem.

Tunc etiam tardi costas agitator aselli
Insedit nymbo effulgens cui plurima circum
Matres atq; uiri pueri uelamina nota
Subiciunt funemq; manu contingere gaudent.
Iamq; propinquabant portis templumq; uetus
Antiqua e cedro centum sublime columnis:
Ingreditur magna medius stipante caterua.
Horrendum siluis hoc illis curia templum:
Hæ sacre sedes: miro quod honore colebant.
Nanc sub ingenti lustrat dum singula templo:
Horrescit uiso subito: insonuitq; flagello.
Significatq; manu. & magno simul intonat ore.
Quæ scelerum facies: quæ ue æra micantia cerno
Cæsaris & nomen: quæ mentem insaniam mutat:
Hic uobis propriæ sedes: hic tempore certo
Perpetuis patres soliti considere mensis.
Obstupuere animi: gelidusq; per ima cucurrit
Ossa tremor: mensasq; metu liquere priores.

De cena domini.

Deuexo interea propior fit uesper olimpo
Tum uictu reuocant uires: fusiq; per herbam
Et dapibus onerant mensas: & pocula ponunt.
q; christus corpus suū & sanguine dedit disciplissuis
Postquā prima quies epulis: mensæ remotæ:

Ipse iterum primos genitori instaurat honores
Suspiciens coelum. tum facta silentia linguis
Dat magnibus fruges dulcesq; a fontibus undas
Impleuitq; mero pateram: ritusq; sacrorum
Edocet: immisitq; preces ac talia factur
Audite o proceres ait & spes discite certas:
Nemo ex hoc numero mihi nō donatus abibit:
Promissisq; patris uestraq; hec munera uobis
Carta manet pueri: & palmā mouet ordine nemo

De traditione & passione sua predicit.

Et lux cum primum terris se crastina reddet:
Vnus erit tantum in meq; exicumq; meorum:
Dum paci medium se offert de corpore uestro.
Iamq; dies ni fallor adeſt. seducite curas:
Mecum erit iste labor: nec me sententia fallit:
Vnum pro multis dabitur caput: hæc ita factus
Conticuit: seramq; dedit per membra q; getem.

Iudei a pilato postulant christū crucifigi
Oceanum interea surgens aurora religt.
Iamq; sacerdotes late loca questibus implent
Cū populo & patribus. seritur p agmina murmur
q; genus hoc hoīnū: quæue hæc tā barbara more
Permittit patria: poenas cum sanguine poscunt
Vndiq; collecti: & magno clamore secuntur
Insontem: sœuitq; animis ignobile uulgas.

Sexta hora ducitur ad crucem.

Sol medium coeli concenderat igneus orbem:
Cum subito omnes accincti populiq; patresq;

Exoscunt: fariq; iubent quo sanguine cretus:
Quidue petat: quidue ipse ferat: præclara tuëtes
Facta uiri mixtus dolor & stupor urget inertes.
Nescia mens hominum: certantq; illudere capto.
Tum uero captis concurrunt undiq; telis.
Tolitur in coelum clamor: cunctiq; repente
Insignem querum decisus undiq; ramis
Constituunt: spirisq; ligant ingentibus illum:
Tendebantq; manus pedibus per mutua nexiones:
Triste ministerium: sequitur quos cætera pubes.
Ausi omnes immane nefas: ausoq; potiti.
Ille autem impavidus quo uincula necritis iquit:
Tanta ne uos generis tenuit fiducia uestris:
Post mihi non simili poena commissa luetis.
Talia perstabant memorans fixusq; manebat

Sol obscuratur & fit terremotus.

Interea magno misceri murmure coelum
Incipit: & rebus nox abstulit atra colorem:
Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.
Terra tremit. fugere feræ. & mortalia corda
Per gentes humili stravit pauor. inde repente
Dat tellus gemitū: & coelū tonat omne fragore.

Infernī spoliantur.

Extemplo commotæ herebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues tellus quoq; & æquora pôti
Signa dabant. sistunt amnes. terræq; dehiscunt.
Quin ipsæ stupuere domus: atq; intima loeti
Tartara: & umbrosæ penitus patuere cauernæ

Sol quoq; & exoriens cuncti se scire fatentur
Tunc caput obscura nitidum ferrugine tinxit.

De fuga apostolorum.

Diffugiunt comites: & nube teguntur opaca:
Multaq; dura suo tristi cum corde uolunt.
Quid faciant: hærent infixi pectore uultus:
Verbaq; nec placidam membris dat cura quiete.

Questio petri ad discipulos.

Tunc senior tales reddebat pectore uoces:
Multæ mouenes: ubi nunc nobis deus ille magister:
Quæ seqmunt: quo ue ire iubes: ubi ponere sedes:
O dolor atq; decus tantarum gloria rerum.
Iam fâ mora nulla est: & nos rape in omnia tecum
Oramus: teq; aspectu ne subtrahe nostro.

De christi resurrectione.

Hos inter motus media inter talia uerba
Tertia lux gelidam coeli dimouerat umbram.
Iamq; pedem referèt: superas ueniebat ad auras:
Cum subito ante oculos ingenti mole sepulchrum
Corpus ubi exanimi positum: nec claustra nec ipsi
Custodes sufferre ualent: auulsaq; saxis
Saxa uident: laxis laterum compagibus artis
Fit sonitus. ingens concussa est pondere tellus.
Horror ubiq;. animos simul ipsa silentia terrent.
Ecce autem primi uolucrum sub culmine cantus
Ingreditur linquens antrum: spoliisq; supbis
Ibat ouans: pulsuq; pedum tremit excita tellus.

Foribus clausis apparuit discipulis.



Vulneraque illa gerens foribus sese intulit altis.
 Atque hic ingentem comitum affluxisse nouorum
 Inuenit admirans numerum cunctisque repente
 Improuisus ait: coram quem queritis adsum.
 Vicit iter durum pietas: & uiuida uirtus.
 Præcipites uigilate uiri. timor omnis abesto.
 Hui nostri reditus expectatiæ triumphi.
 Hec mea magna fides. o terque quaterque beati
 Quæ uobis quæ digna uiri pro laudibus istis
 Præmia posse rear solui: que dona parari:
 Ancipitem reuocate animum: moestusque timore
 Mittite: & uos met rebus seruate secundis.
 Quod supereft benegestis ordine rebus
 Comedat pacem disciplis & dubitatibus ostendit uul
 Pacem orate manu: pacem laudate sedentes
 Magnanimi: pacis solum inuiolabile pignus.
 Et simul hiis dictis faciem ostendebat & ora:
 Ora manusque ambas: penetrataque pectora ferro:
 Immiscet manum manibus: gaudentque tuentes:
 Nec uidisse semel sat est: iuuat usque morari:
 Et conferre gradum: & dextræ coniugere dextram
 De ascensione domini
 His demum exactis spirantes dimouet auras
 Aera per tenerum: coeloque inuestus aperto
 Mortales uisus medio in sermone reliquit.
 Infert se septus nebula mirabile dictu.
 Atque illum solio stellantis regia coeli
 Accipit: æternumque tenet per saecula nomen.

Ex illo celebratur honos. letique minores
 Seruauere diem tot iam labentibus annis.
 I decus i nostrum tantarum gloria rerum:
 Et nos & tua dexter adi pede secundo
 Annua quæ differre nefas celebrate fauentes.
 Hunc socii more sacrorum: hunc ipse teneto
 O dulcis coniunx. & si pietate meremur
 Hac casti maneant in religione nepotes.

FINIS

alue festa dies toto uenerabilis æuo.
 Qua deus infernum uicit: & astra tenet
 Tempora florigeru rutilant distincta sereno;
 Et maiore poli lumine porta pater.
 Altius igniuomum solem cæli orbita ducit:
 Qui uagus oceanas exit: & intrat aquas
 Armatus radiis elementa liuentia lustrans.
 Hac in nocte breui tendit in orbe diem.
 Splendida sincero producunt æthera uultu:
 Læticiamque suam sidera clara probant.
 Terra ferax uario fundit munuscula cultu.
 Cum bene uernarit: reddit & annus opes.
 Mollia purpureum pingunt uiolaria campum.
 Prata uirent herbis: & micat herba comis.
 Paulatim subeunt stellantia lumina florum:
 Floribus arrident gramina cuncta suis.
 Semine deposito late seges exilit aiuis;



Spondens agricolæ uincere posse famem.
 Caudice defecto lachrymat sua gaudia palmes.
 Vnde merum tribuat: dat modo uitis aquam
 Cortice de matris tenera lanugine surgens
 Præparat ad partum turgida gemma sinum.
 Subq; hyemis tempus foliorum crine refosso
 Iam reparat uiridans frondea tecta nemus.
 Mixta salis. abies. corylus. siler. ulm⁹. acer. nux.
 Plaudit quæq; suis arbor amena comis.
 Constructura fauos apis hinc aluearia linquens
 Floribus instrepitans poplite mella rapit.
 Ad catus reuocatur auis: quæ carmine clauso
 Pigrior hiberno frigore muta fuit.
 Hic phylomena suis attemparat organa cannis.
 Fitq; repercuesso dulcior aura melo.
 Ecce renascentis testatur gratia mundi:
 Omnia cum domino dona redisse suo.
 Namq; triumphanti post tristia tartara christo
 Vndiq; fronde nemus: gramina flore fauent.
 Legibus inferni oppressis: super astra meantem
 Laudant rite deum: lux: polus: arua: fretum.
 Qui crucifixus erat: deus ecce per omnia regnat.
 Dantq; creatori cuncta creata precem.
 Mobilitas anni: mensum: lux alma dierum:
 Horarum splendor: stridula cuncta fauent.
 Hinc tibi silua comis: plaudit quoq; caput aristis
 Hinc grates tacito palmite uitis agit.
 Hinc tibi nunc auium resonant uirgulta susurro.

Has inter nimio passer amore canit.
 Christe salus rerum: bone conditor: atq; redeptor
 Vnica progenies ex deitate patris:
 Irrecitabiliter manans de corde parentis:
 Verbum subsistens: & patris ore potens:
 Aequalis: concors: socius cum patre coaeuus:
 Quo sumpsit: mundus principe: principium:
 Aethera suspendis: sola cogeris: æquora fundis:
 Quæq; locis habitant: quæ moderata uigent:
 Qui genus humanum cernens mersisse profundo:
 Utq; hominè eriperes. es quoq; factus homo:
 Nec nostro tantum uoluisti e corpore nasci:
 Sed caro: quæ nasci pertulit atq; mori.
 Funeris exequias pateris nouus auctor & orbis.
 Intra mortis iter dando salutis opem.
 Tristia cessarunt infernæ uincula legis.
 Expauitq; chaos luminis ore premi:
 Depereunt tenebræ christi fulgore fugatæ.
 Aeternæ noctis pallia crassa cadunt.
 Sollicitam: sed redde fidem: precor alma potestas
 Tertia lux rediit: surge sepulte meus.
 Non decet ut uili tumulo tua membra tegantur.
 Non premium mundi uilia saxa premant.
 Indignum est: cuius clauduntur cuncta pugillo:
 Ut tegat inclusum rupe uetante lapis.
 Lintea tolle precor: sudaria linque sepulchro:
 Tu satis es nobis: & sine te nihil est.
 Solue catenatas inferni carceris umbras;



Et reuoca sursum quicquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem: uideant ut sacula lumen.
Redde diem: qui nos te moriente fugit.
Sed plane implesti remeans pie uictor olimpi:
Tartara pressa iacent: nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens:
Qui raperet semper: fit tua præda deus
Eripis innumerum populum de carcere mortis.
Et sequitur liber quo suus au^rtor abis.
Euomit absorptam pauide fera belua plebem.
Ct de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulū repetens post tartara carne resūpta.
Belliger ad caelos ampla trophea refers.
Quos habuit penale chaos: iam reddidit iste:
Et quos mors peteret: hos noua uita tenet:
Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi:
Cum puras animas sacra lauacra beant
Candidus egreditur nitidis exercitus undis.
Atq; uetus uicum purgat in amne nouo.
Fulgentes animas uestis quoq; candida signat.
Et grege de niueo gaudia pastor habet.
Additur hac foelis concors mercede sacerdos:
Qui dare uult domino dupla talenta suo:
Ad meliora trahens gentili errore uagantes:
bestia ne reparet munit ouile dei.
Ouos prius eua noces ifecerat: hos modo reddit.
Ecclesie pastor ubere lacte sinu

